UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdex Magistratvs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Illvstrissimis Belgii Ordinibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

Visual Library

ILLVSTRISSIMIS

BELGII

ORDINIBVS.

ILl.mi Domini, Vt à natura comparatum, ita ab omnium gentium vſu receptum eſt, vt de rebus, vnde ſalus, & fortunæ publicæ priuatæque dependent, in commune conſulatur: creditumque eſt ſemper regna ac ciuitates vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Inde profeſſus eſt Ottho *æternitatem rerum, ſuam populiq; ſalutem in incolumitate Senatus firmari:* Theodoſius & Valentinianus bene ſe cognoſcere, quod cum Senatus conſilio fuerit ordinatum, ad beatitudinem ſui imperij, & ad ſuam gloriam redundare. In ſacris Machabæorum hiſtoriis laudantur Romani, quòd quotidie trecentos viginti conſulebant, quòd conſilio & patientiâ ſuâ obtinuiſſent gentes vicinas, atque longinquas, quòd inter illos non eſſet inuidia, neque zelus. Quin & inter barbaras gentes de Aſſuero ſacræ itidem literæ recitant, ſuper contumacia reginæ Vaſthi eum interrogaſſe *Sapientes, qui ex more regio ſemper ei adhærebant, ſcientes leges, ac iura Maiorum, & eorum feciſſe cuncta conſilio.* Sic & apud Athenienſes fuit Ariopagiticus conſeſſus, apud Lacedæmones Geruſia, apud Iudæos Synedria: in Amphictyonicum conuentum veniebant Iones, Dores, Perrhæbi, Bæoti, Magnetes,

Achæi, Phthij, Moluenſes, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenſes: in Omarij Iouis delubrum Sybaritæ, Caulonitæ, Crotoniatæ: Semnones, in Syluam Patrum auguriis, & priſca formidine ſacram: ad Lugdunum, vbi Arar Rhodano commiſcetur, conuenire ſolebant Populi ſexaginta: in monte Albano Latini Populi etiam plures: Hiſpani in ſeptem congretationes partiti erant: Gallorum conuentus etiam ſub Cæſare pluries acti: nulli vnquã frequentiùs quàm Germanorũ, tum antiquitus, tum medio æuo, atque imprimis Caroli Magni, aliorumque Impp. Germanorum, Francorumque temporibus, tum generales, tum Ditionum ſingulares: vt non rari nuperis adhuc ſeculis Cortenbergici, aliique apud Brabantos, alioſque Belgas. Sed & poſtquam ſub Philippo Bono ditiones pleræque Belgicæ coaluerant, frequenter generalia omnium prouinciarum comitia ſub illo, atq; inſecutis Principibus habita fuerunt. quin & ſupra reliquos per quam ſæpiſſimè ea habuit Carolus V. Imperator, Belgarum Princeps, Belgico ipſe ortu, ac genio: ex eorumque conſilio de ſalute Reip. plura Edicta, Placita, Ordinationes promulgauit. ſi quidem & ſacro teſtimonio aſſeritur ibi ſalutem eſſe, vbi multa conſilia. nec aliud Tacitus aſſerit ipſis Romanis aduerſus validiſſimas gentes, (Britannos) vtilius fuiſſe, quàm quod in commune non conſulerent: rarus paucis ciuitatibus ad propulſandum commune periculum eſſet conuentus. Quibus de cauſis ſapientiſſimo etiam conſilio Rex Catholicus Vos, Illuſtriſſimi Belgij Ordines, conuenire nunc voluit, vt vobiſcum de

Rep.

Rep. quà bello quà pace ſalubriter curanda conſultaret, bonumque à Vobis conſilium acciperet. *Bonum conſilium,* inquit diuinus Plato, *hoc vocatur, quod ad meliorem ciuitatum inſtitutionem, ſalutemq́, ad conſenſionem populi, & tranquillitatem pertinet.* Huiuſmodi conſilium, Illuſtriſſimi Ordines, vt daretis, è Republica fuit omnino Vos conuenire. Dediſtis non modò, ſcientes ipſi leges ac jura maiorum; ſed & pro aris & focis veſtris rem agi ſcientes. nec dediſtis modò conſilium, ſed & digniſſimos ex Vobis delegaſtis ex nutu Regio, qui apud auulſos de corpore veſtro Ordines fœderatos bonum idem Platonis conſilium, quod ad conſenſionem populi, ad tranquillitatem pertinet, proponerent, promouerentque. Cuiuſmodi in re ſi meritò Romani *Carthaginenſium Legatorum ætatibus dignitatibuſq́ conſpectis (nam longè primi ciuitatis erant) tum pro ſe quiſque dixere, verè de pace agi;* quid ni de hac legatione idem Ordines fœderati ſentiant? in quà vident Illuſtriſſ.mum D. Iacobum Boonen, Primum è clero Belgico, Archiepiſcopum Mechlinienſem, vt vernaculo nomine Fabios illos, qui Rem Romanam ſæpiùs reſtituerunt, referentem; ita virtutibus ipſis comparandũ: Illuſtriſſ.mum D. Philippum Ducem Arſchotanum, primos è Nobilitate titulos gerentem, magnorum heroum progeniem, Regum etiam ſanguinem Hungarorum: Per-illuſtrem D. Philippum de Cauerel Abbatem Vedaſtinum, vt monaſterij, atque Ordinis Benedictini per occidentem antiquiſſimi Antiſtitem venerandiſſimum; ita Prælatorum omnium Belgij ſenio primum: alios inſuper ex Nobilitate, Ciuitatibuſque Proceres, perquam lectiſſi-

mos. *AEtatibus* igitur *dignitatibuſq; conſpectis* dicant Ordines fœderati oportet verè de pace, de induciis agi. Eam porro legationis fidẽ exinde conſequatur conſideratio vocis Illius; *Annibal peto pacem.* non tantùm Ordines conſanguinei, quæ ad Populi conſenſionem, & tranquillitatem pertinent, deſiderant; ſed & Rex potentiſſimus votis Ordinum accedit, pacem tranquillitatemque offert: vt omnes ſciant ipſum & ſuſcipere iuſtè bella, & finire. Quòd ſi, Ill.mi Ordines, diſſoluti Corporis membra compaginaueritis, ſalutem, conſenſionem populi, ac tranquillitatem reduxeritis, profectò tuleritis omne punctum; numquam ſalutariùs conuentus Veſter fuerit indictus; nunquam maiori Reip. bono habitus: ſemper honor veſter manebit, laus veſtra ſe æquabit Olympo. Quòd ſi alij ſalutem communem, atque tranquillitatem aſpernati fuerint; (quod Deus melius vertat!) Regi vt maximo, ita optimo, benigniſſimoque, poſtquam omnia boni patris munia expleuerit, dabitis conſtanter more maiorum libera, fortia, ſalutaria conſilia. Laborat, inquiunt, Reſp. grauibus morbis, & non vnis: Sed neque tamen immedicabilibus. magna medicinæ pars eſt morbum noſcere: boni medici officium, non cutem curare, ſed morbi cauſas tollere, morbum indicare, idonea remedia præſcribere, veritatem aperire. ægri multi in mortem pelluntur, quia periculum ſuum neſciunt; illius rationi non obtemperant, quia nec medicũ habent, nec amicũ qui moneat. Quòd ſi quando antehâc bellum hîc ita adminiſtratum fuit, vt in commune conſultum non fuerit, vt neruus belli neglectus,

miles

miles non ex diſciplina habitus, non ab inedia vindicatus, hoſtis contemptus, annona, apparatus bellicus non curatus, ſi quando non defendendo, non offendendo ex belli legibus (ne quid de fide dicamus) fuerit pugnatum: non vnus Princeps, non vnus exercitus Imperator fuit, cui politici militareſque morbi obtigerint, atque breue tamen intra tempus remedium dederit. fuit Scipio, Metellus, Cotta, Corbulo, aliique: plenæ ſunt omnium temporum hiſtoriæ. Sed & auorum memoria Carolus VII. ad fines vſque Galliæ profligatus, vt iam per deſpectum Rex Burgi tantùm vocitaretur, ab Hira liberè monitus, ad ſe & Remp. verſus, eam breui reſtituit, bellum feliciter confecit, Anglum regno depulit. Et potuit conclamatis Caroli rebus vnius vox militis mederi. Regi noſtro tot tantaque ſunt regna intacta, atque prouinciæ: nec vnum nos ad rectè conſulendum militem habemus. Habemus Ill.mos Belgicarum ditionum Ordines, ſapientiſſimas DD. VV. ſcientes leges ac jura maiorum; ſcientes vitia quibus Reſp. res militaris vrgetur; ſcientes remedia & herbas ſalutares, quibus reſtitui, & ſtare Numine propitio æternùm poſſit. Ecquis iam non ſperet in hoc Vos conueniſſe, vt ita Regi bene conſulatis, vt æquis conditionibus Belgici omnes Populi in conſenſionem conduci poſſint? Quòd ſi porrò Deo ſteterit nondum eâ felicitate ditiones beare, quòd ſi aliorum fuerit ea contumacia, quæ ad æquitatem traduci non poſſit, quæ non induci, vt *ſuſcipiant Montes pacem populo & Colles iuſtitiam*; ea Vos daturos conſilia, quibus quod pace oblatâ obtineri non poſſit, ob-

tingat bello neceſſario? ſed gerendo ex diſciplina: cui & dabit Deus Scipiones, Metellos, Cottas, Corbulones: quos forſã & incipiunt terris oſtendere fata. Ea omnium de Vobis, Ill.mi Ordines, eſt ſententia, omnium expectatio, omnium votum. In quo & ipſe finieram, niſi me memoria mei monuiſſet, cur ad Vos acceſſiſſem. Id ergo tribus dicam verbis, ne in commoda publica peccem, ſi longo ſermone morer Veſtra tempora, adeo Reipub. deuota. Pridem à R.mo Antuerpienſium Antiſtite *Ioanne Maldero*, noſtri temporis Auguſtino, impoſitum mihi onus cauſis perſoniſque ſacris juris dicundi dum obeo, ſpartam meam adorno, dolium voluo, reuoluo, circumſpicio; longâ parturitione agnatus eſt mihi hic Liber: lucem is publicam aſpecturus, patrinos patronoſque poſtulat. Prælo igitur dum ille premitur, inaudiit ſolemnibus Comitiis conueniſſe Patres Patriæ: negat poſſe ſe ad meliores poſtes adrepere: ad eos ergo euntem ſuâ ſponte nolui retardare, potiùs dare malui bene adrogandum: eundemque eapropter Vobis, Ill.mi Ordines, totum *do*, *dico*, *conſecro*. Id tantum precatus, vt tanquam Veſtri nunc juris factum benignè ſuſcipiatis, paternè defendatis. Ita vt audiat, ſecundetque Deus vota publica, & Veſtra, illum oro, obſecro, obteſtor

Illuſtriſſ.rum DD. VV.

Obſeruantiſſimus cliens

FRANCISCVS VANDEN ZYPE.

Antuerpiæ Cal. Aug.
CIↃ. IↃC. XXXIII.